



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Avgvstinvs I. Abbas Heremitarvm XXXIX. Princeps Imperii Vigessimvs
Secvndvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



AUGUSTINVS I. AB-
BAS HEREMITARVM
XXXIX. PRINCEPS IMPERII
VIGESIMVS SECVNDVS.

HERVENIMVS ad te, AVGVSTINE Reueren-
dissime, & Illustrissime Pater, & Princeps, cuius
maximè auspicijs hoc tantum æquor arandum
sumimus, & tibi placendi, obsequendique cu-
ra irremissa, & cupiditate immensa tandem confecimus,
non paucis interea, vt scis, paruisque negotijs, & auocamen-
tis, tamquam importunis vadis, & infestis scopulis retenti,
conflictatique. Fuerit sanè tuorum hac in dignitate ante-
cessorum in excolenda, ornandaque Heremo, tectis con-

stituendis,

stituentis, aut ampliandis labor haut exiguus, & impediendum, dum tua non sit opera, gloriaque inferior. Tu nempe illorum memoriam, gestaque, & cellogia densissimis obliuionis tenebris, maxima ex parte, condita, ac sepulta, in clarissimum, & numquam interiturum literarum splendorem efferi, prodique, & meritis laudibus celebrari voluisti. Quo facto, & honoranda ipsorum memoria non modo confirmasti tuam, sed penè incertum fecisti, plus tu illis debeas, qui Heremum ab ijs talem acceperis; an illi tibi, qui, ne in Heremo incogniti, & incerti, & ignobiles penè omnes jacerent, effeceris. Sed posteaquam super alia præclara ædificia, & ornamenta eximia, etiam Bibliothecam locupletissimam, & exquisitissimam magno sumtu, & studio exædificasti, comparastique, tum vero demum huic nobilissimo corpori, quod vnum post tot infestissima incendia, quibus librariæ opes magnæ, ac raræ pariter in cineres abierunt, hætenus desiderabatur, veluti animam omnium pulcerrimam infudisti, illudque consecutus es, vt cum aliorum ædificia, monumenta, & opera finem forte metuere possint, tua memoria vna cum literis immortalitatem promeruerit, & jam adepta sit. Tu ab prima adolescentia in Heremo eductus, & institutus per omnes penè honores ita virtutis viâ enixus es, vt jam tum supremæ dignitatis capacem iudicarent, cum in inferioribus versarere. At verò vbi Principatum obtinuisti, ea tui nominis fama præualuit, vt in exornanda, augendaque tua dignitate nihil summi terrarum monarchæ Pontifex Maximus, & Imperator invictissimus, & Imperatoris fratres Serenissimi intermiserint, tamquam sui erga te amoris, & affectus certamen instituisent. Maeste his gestis, & laudibus, Pater, & Princeps optime, perge, vige, prospera, & vna cum literis literarum columen, literatorum Patronus
flore, & perenna, decori, & amoru tuorum,
præsidio literatorum, literarumq;,
& tuæ perpetuitati.